



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. I. Qui sint effectus renuntiationis puræ, ac simplicis?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

ria, perpetua, & temporalia, siue manualia (Exceptis beneficiis Consistorialibus, quæ in Romana Curia in Consistorio conferuntur, uti sunt Archiepiscopatus, & Episcopatus &c. ubi cessat fraudis periculum) siue extra curiam siue in curia resignata sint, siue ex causis permutationis, siue cum reservatione pensionis &c. cum nimis universaliter loquatur constitutio. Debent autem publicari à quibusvis resignatariis, etiam exemptis, etiam officialibus Curie Romanæ, imò ab ipsis etiam Cardinalibus, si in eorum favorem beneficia aliqua resignentur, & quidem intra sex menses, si in Curia Romana resignatum sit beneficium, & hoc situm sit citra montes; si verò ultra montes situm sit, intra 9. menses à die supplicationis datæ, & resignatæ. Si verò extra Curiam coram Ordinariis locorum resignatio facta sit, intra tres menses à die, quo collatum beneficium resignatum fuit, computandos, quod intra mensem à tempore factæ resignationis, sub pœnâ privationis juris conferendi, à collatore incurrendâ, nisi intra mensem resignatum beneficium resignatario contulerit, & sub pœna nulliter factæ resignationis, si forma Gregorianæ constitutionis in factis his resignationibus servata non fuit. Vix videtur tamen Bulla hæc Gregoriana circa talia coram ordinariis locorum resignata beneficia in nostris partibus esse usu recepta, juxta quam deberet hæc publicatio extra Curiam fieri in Ecclesia Cathedrali, & Parochiali, ubi, vel intra cujus limites beneficium resignatum existit, quod non observatur.

Compend. Pirhing.

SECTIO VII.

De effectibus renuntiationis.

§. I.

Qui sint effectus renuntiationis pura, ac simplicis?

Primus & præcipuus hujus renuntiationis effectus est, quod beneficium taliter legitime resignatum vacet, & resignans taliter amittat omne jus in beneficio, etiam ad fructus, ac omnem possessionem, postquam talis renuntiatio à legitimo superiore admitti fuit (prout habetur in *c. 3. §. 5. h. r. & c. 2. eod. in 6.* ac natura renuntiationis puræ & simplicis requirit) siue per se, siue per legitimum Procuratorem taliter resignaverit; quòd si verò jus in re nondum habuerit resignans, sed tantum jus ad rem, hoc etiam per resignationem taliter factam amittit, prout sumitur ex *c. in presentia 6. h. r.* Imò si tantum licentiam à superiore instanter petivit, cedendi suo beneficio, postmodum verò, hæc licentiâ impetratâ, resignare non vellet, cogi potest ad resignandum, si in petenda licentia præterdit, talem renuntiationem pro animæ suæ bono, pro Ecclesiæ commodo futuram, uti asseritur in *c. quidam 12. h. r. ne videatur superiori tantum illudere voluisse, qui talem licentiam taliter petivit.*

§. II.

An renuntians redire possit ad beneficium resignatum, & an descendere à digniore beneficio ad minus dignum?

o

Quòd